



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 5. Christus adulteræ clemens, Pharisæos in ruborem dat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

Virgo clementissima, & refugium peccatorum,
 à te constituta, per quam non riuulos, sed
 fluuios immensæ bonitatis tuæ effudisti:
 quos huius voluminis angustijs includere,
 planè temerarius sit conatus. In confesso
 est, angustiùs illam, quàm per tam prodi-
 giosam beneficentiam, inclarescere non po-
 tuisse. Nam sicut in Psal. 49. 15. Deus af-
 flicto dicit: *Ernam te, & honorificabis me;* ita
 meritò etiam Mater Dei, ab ijs, quos eruit,
 in toto orbe terrarum honorificatur.

§. V.

*Christus adultera clemens, Phariseos
 in ruborem dat.*

Eant nunc Aristarchi, murmurent Theo-
 nes, & dentem exacuant; inde Deo gloria
 nascitur, vnde illi occasionem sumunt con-
 uitiandi. Primum exemplum est, quia hac
 mente adduxerunt Christo *Scriba & Phari-* Ioan. 8. 3.
sai mulierem in adulterio deprehensam, & sta-
tuerunt eam in medio, fingentes scilicet, se
 Christi iudicio stare velle; quamuis scrupu-
 lum subijciebant: *In lege Moyses mandauit*
nobis huiusmodi lapidare, quid tu dicis, ap-
probasne legem, an reprobas? Hoc, totum
dicebant tentates eum, ut possent accusare eum.
 Sciebant enim eum misericordiam profiteri Ita S. Aug.

Z 5 & man-

Serm. 47.
de verb.
Dom.

S. Augu-
stin. tract.
33.

& mansuetudinem. Quare si, lapidandam, dixisset, clamassent, eum tam misericordem, clementemq; non esse, quàm videri vellet, ut qui mulierem capitis damnasset; si non lapidandam, ipsum igitur lapidandum, ut qui legem Moyſis violaret. *Sed Dominus in respondendo, & justitiam servaturus est, inquit S. Augustinus, & à mansuetudine non recessurus. Non dixit: Non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Absit autem, ut diceret, Lapidetur. Venit enim non perdere, quod inuenerat, sed querere, quod perierat. Quid ergo respondit? Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Hac scilicet vox justitiae est: Punietur peccatrix, sed non à peccatoribus. Audiuimus vocem justitiae, audiamus & mansuetudinis. Nec ego, inquit, te condemnabo. Sed quid est, Domine? faues ergo peccatis? Non planè. Attende, quod sequitur: Vade, & amplius noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, sed peccata, non hominem. Sic veritas, sic sapientia, sic ipsa, cui calumnia perabatur, justitia, & adulteram pariter, & adulteræ accusatores emendauit. Illa bonitate correctæ est; istis ad propriam conscientiam remissis, vel apertè in terræ puluere scriptum, vel tacitè in pectore dictum est: *Festucam,**

Matth. 7.
3.

quæ

qua in oculo est fratris tui, vides, trabem autem, qua in oculo tuo est, non vides? Hæc est imago Sap. 7. 26.
bonitatis illius, quæ etiam, inter ipsam Scribarum & Phariseorum malitiam; enim uero, in adulteram in flagranti delicto deprehensam, explendescit.

§. VI.

Christus Magdalena, contra Phariseum patronus; & cur uni Deus donet, non item alteri, quod peccauit?

Alterum exemplū offensi bonitate Pharisei Lucas exhibet, in Magdalena, *quæ erat Luc. 7. 38.*
*in ciuitate peccatrix, quæ stans retro secus pedes Christi, lachrymis capit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Videns autem Phariseus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret utiq, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Vides hîc bonitatem Christi, & peruersum iudicium Pharisei? Ille suscipit resipiscentem; iste indignatur Pastori ouem suscipienti. Christus fidem & dilectionem mulieris; Phariseus peccatricis delicta intuetur. Christus clementer, Phariseus S. Aug. 1.
 temerè & impiè iudicat; nempe putat, ig- 50 homil.
 norare Christum, qualis sit mulier, cum ille 23.
 non*